Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



ad he

facti estis quibus lacte opus sit non solido cibo. Omnis enim qui lactis est particeps expers est sermonis iustitie. Paruulus enim est perfectorum autem solidus cibus. eorum qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni atque mali.

VI

Quapropter dimittentes inchoationis christi sermonem ad perfectionem eamus feramur. non rursum iacentes fundamentum penitentie ab operibus mortuis. et fidei ad deum. baptismatum doctrine. impositionis quoque manuum. ac resurrectionis mortuorum et iudicii eterni. et hoc faciemus si quidem permiserit deus. Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati gustauerunt etiam donum celeste. et participes facti sunt spiritus sancti. gustauerunt nichilominus bonum dei uerbum uirtutes que seculi uenturi et prolapsi sunt renouari rursus ad penitentiam. rursum crucifigentes sibimetipsis filium dei. et ostentui habentes. Terra enim sepe uenientem super se bibens imbrem. et generans herbam oportunam illis a quibus colitur. accipit benedictionem a deo. proferens autem spinas ac tribulos reproba est. et maledictioni proxima. cuius consummatio combustione erit. Confidimus autem de uobis dilectissimi meliora. et uiciniora saluti. tamen etsi ita loquimur. Non enim iniustus est deus ut obliuiscatur operis uestri. et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius. qui ministrastis sanctis et ministratis. Cupimus autem unumquemque uestrum eandem ostendere solicitudinem ad expletionem spei usque in finem ut non segnes efficiamini. uerum imitatores eorum qui fide et patientia hereditabunt promissiones

Abrahe namque promittens deus. quoniam neminem habuit maiorem per quem iuraret. iurauit per semet ipsum dicens. Nisi benedicens benedicam te. et multiplicans multiplicabo te. et sic longanimiter ferens adeptus est promissionem. Homines enim per maiorem sui iurant. et omnis controuersie eorum finis ad confirmationem est iuramentum. In quo habundantius uolens deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui. interposuit iusiurandum. ut per duas res immobiles quibus impossibile est mentiri deum. fortissimum solacium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem. Quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam. et incedentem usque ad interiora uelaminis. ubi precursor pro nobis introiit ihesus. secundum ordinem melchisedech pontifex factus in eternum.

VII

Hic enim melchisedech rex salem sacerdos dei summi qui obuiauit abrahe regresso a cede regum. et benedixit ei. cui et decimas omnium diuisit abraham. primum quidem quod interpretatur rex iustitie. Deinde autem et rex salem. quod est rex pacis sine patre